B. N. C.
FIRENZE
1002
3

1002-3

2005 . 3

VIRIS

Generoſiſſimæ ſtirpis eminentia, Magnificentiâ meritorum, Amplitudine nominu, ſplendidiſſimis

DOMINO

BALTHASAR

à SCALL & Groſſelgott/

Domino vtriuſq; Dynaſtiæ Milmen, Crobüſch & Moſchna &c. &c.

Et

DOMINO

WENCESLAO

à KALDENBORN & STACHAV,

In Roſnochau & Roſſvvatza, vtriuſque Principatus Oppelienſis & Rattiborienſis præfecto Ærarii Generali &c.

Illi cognato, tanquam parenti,
Huic, Parenti

Omni cultu & obſequio venerandis S.P.

BIBLIOTHECA

VENERANDI PATRES,

DVm in ea veſtro iuſſu hactenus verſamur academia, in qua tot præcipuæ nobili-

873

bilitatis homines, publicaſſe ſua ſtudia, ac induſtriæ monumenta reliquiſſe deprehendimus: committendum non videbatur, quin & noſter conatus, imitatione optimorum exemplorum, vobis, qui poſt Deum ſanctiſſima nobis nomina eſtis, ſeſe approbatum iret. Igitur aliam ad exercitationem aliud argumentum lectum eſt: mihi ad profectum vtile, nec inter commilitones indecorum demonſtrabatur, ſi de nobiliſſima Iuris dicendi tum poteſtate tum virtute, in ſollemni auditorio, erudite interrogantibus, reſpondere, quantum ingenii vires paterentur, in animum inducerem. Commendabat rem per ſe præclaram, Excellentiſſimorum virorũ, quos præceptores veneramur, fauor, & æqualium beneuolentia: quorũ vel hortatu inſtigari, dulce; vel doctrina proficere, optabile eſt. Supereſt, vt ingenui propoſiti qualecunque pignus, VENERANDI PATRES, *reuerentiſſime Vobis oblatum, placidi ſuſcipiatis & propitii, dicataq; veſtris meritis agnoſcatis obſequia*

VOBIS

æternum devoti Filij
GEORGII à KALDENBORN.

C. B. D.

IVDEX VNVS, ET MVLTI.

AD LOCVM *Taciti 3. Annal. 10.*

PIſo apud Tacitum, necis Germanico illatæ reus, non inuitus audiuit, petitum à Principe, vt cognitionem exciperet: cum *vera aut in deterius credita, IVDICE ab VNO facilius diſcerni; odium & inuidiam apud MVLTOS valere* reputaret. Quæ ſententia, ſicut iudicandi facultatem ac difficultatem ex perſonis comparat: ita de ipſo iudicandi iure ſiue poteſtate, vt tum Romæ ſe habebat, non obſcuram ſignificationem habet. In plurium regimine, *Multos iudices eſſe*, lex & ratio reipublicæ eſt: nec ad *Vnius* ius, etiam ſi officium vni mandaretur, quod vix contigerit, revocari iuriſdictio poteſt. At in ſingulari vnius imperio, etiam vbi *Multis* magiſtratu aut lege iudicia permittuntur, *Vnus* tamen vere & plene *Iudex* eſt, à quo ceteri pendere intelliguntur. Et Romæ quidem, ciuili Principis nomine, vt cetera iura regia, ita iudiciorum poteſtatem, Cæſares complexi erant, atque adeo magiſtratuum legumque munia ad ſe traxerant: quod, etſi maneret in multis prior ſpecies Judiciorum, nec abrogarentur magiſtratus reddendo iuri præfecti, omnia tamē ab *vnius*

poteſtate profecta, ad eandem reuocarentur; non tantum, vbi ipſe Princeps præſidebat cognitioni, ſuoque iure per ſe vtebatur, quod cum Piſone vt optarent litigantes, non vno nomine fieri poterat, ſed in perpetua æſtimatione ſtatus ac formæ reipublicæ. Quod enim variis artibus, non Auguſtus modo, ſed Tiberius etiam, regiam vnius in dicendo iure poteſtatem ſubinde occultarunt ac diſſimularunt, id nihil detrahit de ſtatu & iure reipublicæ ſed ad ſchema externum & modum adminiſtrandi, varios ex vſu imperantium vultus ſumentem, referendum eſt.

Iudicare enim, id eſt, ius ſemel conſtitutum ſingulis reddere, cauſſas reoſque audiendo, ſententiam ferendo ſeu de iure facti ſtatuendo, & quod ſtatutum eſt, exequendo, vnum eſt de ſummi imperii iuribus, quæ & iura maieſtatis appellantur. Hoc ſenſu: Summa regendæ reipublicæ poteſtate ſiue Maieſtate, vel penes unum vel penes plures, pro diuerſa regiminis formâ, reſidente, ius iudiciorum ſiue adminiſtrandæ iuſtitiæ, & iuriſdictio etiam continetur; in omni negotio, quod adminiſtrationi iuſtitiæ obiicitur, ſiue civile id ſit, ſiue criminale: adeoque etiam in omnes perſonas, quæ civitatis partes ſunt. Atque hoc ius, in omni civitate, & ſoli maieſtati & ſemper ineſt, formaliter ſcilicet, & primo, vt in ſcholis interpretantur: vnde per participationem ad alios, à maieſtate dependentes iudices & magiſtratus propagari poteſt. Quo ita cōſtituto, ſatis intelligitur ad ipſam iuriſdictionis naturam, & poteſtatem iudicandi proprie acceptam, non pertinere, quicquid precarium, fiduciarium, delegatum eſt qualis eſt omnis magiſtratuum & eorum iudicum poteſtas quibus aliunde demandata eſt iuriſdictio.

Qui nullum in hoc argumento civilis diſciplinæ guſtum habent, ni ſi quem ex prætoris, proconſulis aut cuiuſuis magiſtratus Romani officio ac iuriſdictione perce-

ceperunt, non potuerunt non varie decipi, quando inde potiſſimum, ipſam iuriſdictionis naturam aggreſſi ſunt explicare. Quo factum eſt, vt ius magiſtratuum creandorum, & juriſdictionem, ſiue ius judiciorum, pro vno eodemq; haberent. Quæ duo, veteres, & inprimis *Ariſtoteles*, diligenter diſtinxerunt. *Libro IV. Polit. c.* 14. tres conſtituit reipublicæ partes: τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, *quæ de republica conſultat, ſiue ſenatum*: τὸ περὶ τὰς ἀρχάς, *quæ in magiſtratibus & imperiis cernitur*; τὸ δικάζον, *quæ iudicat, ſiue in iudiciis conſiſtit*. Poſtea autem, τὸ ἐπιτάττειν, *imperare, præcipere, magiſtratui proprium* facit: quando ait, poſſe quidem fieri, vt is qui magiſtratus eſt, conſultet de republica & iudicet, ſed nec ſemper nec neceſſario, cum magiſtratus natura non in conſultando, aut iudicando, ſi proprie velimus loqui, ſed in imperando & præcipiendo quærenda ſit. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερόν ἐστι. *Nam imperare, magiſtratui magis proprium eſt*. Si dicas; magiſtratus conſultat de republica; at hoc faciunt & alii, qui non ſunt magiſtratus: magiſtratus iudicat, at hoc faciunt iterum alii, qui non ſunt magiſtratus. Propria igitur magiſtratus nota, τὸ ἐπιτάττειν, imperare. quod *imperium* non recte videntur explicare, qui eo tantum ſignificatu capiunt, quo in iuriſdictione Romana accipitur. Si enim dicas; *Antecedit ius dicere, ſequitur imperare*: recte ſentis quando de iuriſdictione Romana loqueris. Sed *Ariſtoteli* magiſtratus, etiam extra iudicia, & ſine iudiciis, imperat neque vox imperandi ad ſolum forenſem vſum, apud Philoſophum quidem, reſtringi poteſt. Vnde & illud, *Magiſtratus eſt, qui iuriſdictionem habet*, ſi de iure dicendo, iuriſdictionem accipias, de certo magiſtratu verum erit; de omni falſum. Nam in Romana quidem Republica, iuriſdictio, cum imperio fuit coniuncta, non autem ſemper & vbique in aliis rebuſpublicis. Quid? ſi ſumma

Cap. 15.

Vid. Piccart. ad 15. *lib.* 4. *polit. Ariſt.*

ctionem, & ſine ſui appellatione, conceſſit, non recte inter- pretantur. qui metuunt, ne maieſtati Principis aliquid inde detrahatur. Egit enim illud eo tempore, quo ciuilis animi ſtudium præ ſe ferens, imaginem antiquitatis Romanis præbebat; nota arte, & nunquam ad diminuendam vim Principatus cōparata. Nec aliud Nero ſpectauit, cum *omnes appellationes à iudicib. ad Senatum fieri voluit*. Quem locum, non eſt, quod opponat Tacito 14. A. 28 Vir magnus: vide, & compara. Sicut autem hi diſſimularunt curam maieſtatis exercendæ, ita eximie inculcauit *Theodoricus Rex in Edicto*, his verbis: *Omnes appellationes ſuſcipiant ii prouinciarum iudices, à quibus prouocari poteſt: quando optimæ conſcientiæ conueniat, etiam ſuperfluam appellationem ſine dubitatione ſuſcipere, dum de appellationis merito ſacer poſſit perpenſis legibus cognitor iudicare. Quod ſi iudex ſua abſentia procurauit, ne appellatorios libellos accipiat: in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de abſentia iudicis de ſua appellatione habere debere cenſemus. Judex autem, qui aut ſuſcipere appellationem contempſerit, aut certe in cuſtodiam dederit, aut verberauerit, aut aliquo diſpendio læſerit appellantem, decem librarum auri amiſſione feriatur, quas fiſci compendiis cura ſacri cognitoris pracipimus aggregari, officium quoque, cuius intereſt, mulctæ legitimæ ſubjacebit.* Hæc, illa occaſione annotare libuit, dum ius extremæ prouocationis, partem iuris iudiciorum facimus: vnde figurato loquendi genere, totum nonnulli ea appellatione inſtituerunt ſignare. Quod, extra μέθοδον τῆς διδασκαλίας, facile conceditur. Ita frequens eſt bonis ſcriptoribus, *ius vitæ & necis* vocare, totam judiciorum poteſtatem: cum tamen nec iudicia omnia ſint capitalia, & more Romano, ius gladii partem tantum iuriſdictionis notet. Nemo etiam reprehenderit eos, qui *ius dicere*, & *iudicare* aliquando diſtinguunt: ſed, quando

Sueton. Calig. 16.
Sueton. Ner. 17.
cap. 55.

ſumma imperii iura tractantur, τὸ αὐτόδικον, modo *ius dicere*, modo *iudicare*, adeoque & iuriſdictio pro iudiciorum poteſtate, ἐκ περάλληλα ſumuntur.

Priuſquam pergamus ad eos, qui impugnant hoc ius, & qui non recte defendunt, aliquid de illa quæſtione annotandum eſt: *An Minor poſſit eſſe maioris iudex?* Id enim examinare, ad poteſtatem iudicandi explicandam proprie pertinet. Et Julius Cæſar quidem Prætor, Neuium Nigrum Quæſtorem in carcerem coniecit Romæ, Suet. Iul. 17. *quod compellari apud ſe maiorem poteſtatem* (prætorem) *paſſus eſſet*. Sed iſta forte exempla, ad hodiernam diſputationem parum pertinent. Poſſe enim à ſumma poteſtate ciuili conſtitui, vt in certis cauſſis, minor ſit majoris iudex, aut inferior magiſtratus, ſiue etiam populus, vbi non eſt populare imperium, majorem magiſtratum iudicet, dubio caret. Eſtque huic in republica vel diſpoſitioni vel arti ſua ratio, ac vtilitas. Sed an eius maioris Judicis, penes quem eſt ſumma poteſtas ſiue maieſtas, minor poteſtas iudex eſſe poſſit, vnice ambigitur. Summa enim poteſtas, vt alios omnes iudicat, ita ipſa eſt ἀνυπεύθυνος. idque hoc ipſo iure, de quo agimus. Quin poſſit tamen ſibi ſponte in certis caſibus conſtituere vel iudicem, vel arbitrum in vicem iudicis, non fuerit inficiandum. In omnibus autem rebus, & citra exceptionem ſibi imponere iudicem ſumma poteſtas non poteſt, vt ſumma maneat, id eſt, omnia ſummi imperii ſiue maieſtatis iura habeat. Αὐτόδικον enim dicere, qui ſit ὑπεύθυνος, eſt ea ponere quæ ſe inuicem tollunt. Inquis: Si ſummæ poteſtati leges poni poſſunt, e. g. Regi, quibus teneatur, etiam iudicem habere poterit. Obligare enim aliquem legibus, & eximere iudicio, nihil aliud fuerit, quam diuellere ea, quæ naturali conſecutione cohærent. Loqui autem te de Rege, qui non nomine tantum ſed iure regio Reipublicæ

licæ præſit, quo nemo maior eſt, ne populus quidem, vt poſtea monebitur non dubitabo. Sed tum petam, eius rei exempla mihi oſtendi. Hic vero abunde pleriſq; erit, quod colligant. Quid enim? nonne de Regibus Romanis Tacitus ſcripſit: *Seruium Tullium tuliſſe leges, quis etiam Reges obtemperarent.* 3. A. 16. Si hoc fecit, imminuit utique ius regium, vel reges Romanos poſt Romulum non habere ius vere regium, ſed mixtum ſtatum eſſe reipublicæ, declarauit: ſicut & alia Tullii apud *Dionyſium Halicarnaſſeum* dicta factaque eodem tendunt. Certe ſi accipimus ſimpliciter locum *Dionyſii*, quo teſtatur, *populum Romanum ſub Regibus inde ab antiquo habuiſſe ius trium maximarum rerum: creandorum magiſtratuum, ferendarum legum, belli deniquepaciſque*: lib. 4. nemo ciuilis philoſophiæ peritus dixerit, veros illos Reges fuiſſe, ſed mixtam reip. formam obtinuiſſe animaduertet. Verba ſunt gravia: Τριῶν πραγμάτων ὁ δῆμος ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων κύριος ἦν, τῶν μεγίστων τε καὶ ἀναγκαιοτάτων. Niſi oratorio magis, quam philoſophi more locutum credas, ut dominum faciat earum rerum populum, quarum non poteſtatem habebat, ſed in iis adminiſtrandis aliqua auctoritate pollebat: quorum illud ad formam reipublicæ, hoc ad modum adminiſtrandi pertineret. *Taciti* in diiudicandis talibus rebus ſemper magna apud me auctoritas eſt. Ille, Romulo poteſtatem vere Regiam videtur tribuere, quam immutato poſtea rerum ſtatu, popularitas præſertim Seruii Tullii diminuerit. Quamquam, qui diligenter verſauerit ſcriptores vtriuſque linguæ, non pauca nobis deeſſe ad accuratiorem Regii Romanorum imperii cognitionem, animaduertet. Neque ad alia exempla nos progredi, ſtudium breuitatis patitur. Id non vereamur affirmare: eum aut eos, qui ſummam poteſtatem habent ſine exceptione, non poſſe, ab alio aut aliter iudicari, quàm ſi in ciuilibus quibuſdam

cau-

cauſis ipſi ſibi invicem iudicis aliquem aut aliquos conſtituerint. At, vbi mixtus eſt imperii ſtatus, & Princeps ex omnibus, ad præſcriptam formulam regnaturus, quæritur; dubium non eſt, quin conſuetudine aut lege talis imperii, iudex aut iudices, illi Principi conſtitui queant, &, ſi factum appareat, pro conſtitutis haberi debeant. Tum autem fruſtra quæreretur: an maior à minori iudicari queat? Non enim tam conſtitutus iudex, aut conſtituti iudices (quanquam ſi gentilitius is honor eſt, non poteſt non maximi æſtimari) quàm conſtituentes, adeoq; ab origine rei, conſiderari debent. Cumq; in tali, quem deſignauimus ſtatu, Imperium ſemper maius eſſe Principe, neminem patiatur ignorare manifeſtiſſima philoſophiæ ratio, Minor nunquam erit, qui iudicat, quatenus & quo nomine iudicat. Imo tali mixturæ non modo non repugnat, ſed vſitatum eſt, vt vices magnitudinis ſint; &, qui in nonnullis ſummus eſt, in certa re aliorum poteſtatem detrectare non poſſit. Certe, illi, qui vltro de tali ſtatu reipublicæ in hoc aut illo exemplo pronuntiant, non poterunt tueri ſua placita, ſi velint admittere, quæ de diuerſiſſimis formis & temporibus opponuntur, atque varia effugia, præter rem quærere. Hæc è certis philoſophiæ fontibus, nimium proh! dolor hodie neglectis ignoratiſque. Non latent interim nos, & aliæ cauſſæ, quæ de republica ſcribere ſolitos diuerſe trahunt, neq; ad liquidum deduci patiuntur, quæ diximus.

In oppugnando iure iudiciorum, mirum eſt potuiſſe reperiri homines, qui Sacras literas nominare auderent, vbi Deus ipſe ſe Iudicem Vniuerſi promulgat, & Iudicibus ſummis, mediis, imis, loca partitur, officia deſcribit, atque ad ſummam in ciuitate poteſtatem, ſibi ſecundam, tam accurate omnem iuriſdictionem refert, vt nulli reorum, quocunque obtentu elabendi vlla rima relinqua-

quatur. Sed iſtos quidem fanatico errore lapſantes, abunde Theologi graues ac eruditi profligarunt.

Neque res melius ceſſit iis, qui clericos eximere voluerunt ſummæ poteſtati, cui Deus & natura iudicandos tradit, quicunque civili conſociatione continentur. Apud nos, qui Auguſtanæ Confeſſionis formulam in religione ſequimur, etiam lex Reipublicæ, acceſſit, quando tranſactione Paſſauienſi, & Pace Religionis, & nuper Pace Oſnabrugenſi, Ius Epiſcopale, quod ita vocare cœperunt, qui Epiſcopis talia vindicabant, adeoq; & iuriſdictio illa, Principibus ac Ordinibus attribuitur. Quin ipſum Pontificem Romanum ab Imperatoribus Romanis optimo iure iudicatum, exemplis omni exceptione maioribus, alias oſtenditur. ſicut & illud: Pontifici & clero in ſupremas poteſtates nullum iudicium, aut aduerſus earum iudicia & ſententias, intercesſionem competere. Nunc illud tantum vellem ex *Petro de Marca*, viro doctiſſimo, ſi liceret ipſi [illegible] in eiuſmodi quæſtionibus, percontari, quando exemplis valde debilibus & parum dextre explicatis, cenſuram clericorum, legibus & iudiciis Principum ſubiacere negat, quid ergo ſentiat, de ſententia auctoritate Regia & Senatus anno ſuperioris ſæculi LXI latâ, primo in Arturum Deſiderium ſacrificum, deinde in Theologos Sorbonicos, occaſione libelli Iohannis Tanquerelli, apud *Thuanum* Et, recte ne ac ordine, an ſecus, Senatus Lutetianus anno huius ipſius ſeculi XXVI, collegii Claramontani Theologis diē dixerit, ob librū Santarelli? cuius actionis totius ſeriē *Bartholomeus Gramondus* refert. Ita, qui apud eundem ſcriptorem, quæ anno 1[illegible]16 pro Archiepiſcopo Burdigalenſi Sundiſio, & contra eum diſputata ſunt, legit, non dubitabit, vtra pars coloribus, vtra argumentis vtatur. Sed adverſus iſta quidem Pontificii dominatus inuenta, nunquam non ſtrenue & cordate cer-

de concord. ſacerdotii & imperii lib. 2. cap. 7.

lib. 18.

hiſt. lib. 15.

lib. 2.

tatum eſt: ſuntque in omnium manibus integra volumina.

Ceterum huic ſupremo iudiciorum iuri, etiam illi aduerſantur, qui populum in Regno quoque, aut Ariſtocratia, ſupremum Iudicem ita faciunt, vt eius examini & ſententiæ ſubiici debeant Rex aut optimates, adeoque ipſa ſumma poteſtas. Quod equidem nulla ſolidioris philoſophiæ ratio permittit; vel in diuinis, vel in humanis literis. At, inquiunt, ſi Rex abutitur ſumma poteſtate in iudicando, & male iudicat? Interrogabo viciſſim: Annon totus quoque populus abuti poteſt, aut abutitur, ſumma ciuili poteſtate? nihil frequentius certe in Democratiis olim accidit. Quod ſi ergo amplius roges populares illos philoſophos, à quo ſit iudicandus populus, qui deliquit, ſeu tota illa ciuitas imperio inique ac fœde vſa? reſpondebunt certe: à ſolo Deo. Quidni ergo eadem ratio valeat in iis imperiis, vbi omnis poteſtas à populo, vni & in vnum, aut paucos translata eſt? Quo genere argumentandi iam olim *Ariſtoteles* tales homines arguebat. 3. polit. c. f. Egregius eſt, adverſus periculoſam ſapientiam, labor *Grotii* 1. *de iure belli cap.*4. cui addendus *Arniſæi liber de auctoritate Principum in populum ſemper inviolabili.*

Innouant etiam in hoc ius, qui ſe ſibi conſtituunt ipſi iudices. Quod quidem fieri quodammodo, quotiens vindictæ ſtudio ſuas iniurias & lites manu exequuntur aut ſingulari dimicatione, qui copiā iudicii habere poterant, in aperto eſt. Exemplum autem mirabile talis delicti, id eſt, comment. de Vit. lib. 2. vſurpati à priuato iudicii, *Thuanus* memorat. Bala[illegible] præfectus arci Lactoratenſi, iniuriam ſororis, [illegible] vitium obtulit alteram vxorem duxerat in au-ctorem [illegible] egreſſus, conuiuium inſtituit. quo finito, *qua[illegible] pro tribunali ſeden[s]* (ſunt verba Hiſtorici) adductum ad ſe in vinculis *reū interrogat, inficias euntem teſti-*

bus

bus productis conuincit, etiam ſorore, qua aliquandiu latuerat, velo amoto, quaſi ex machina comparente. cuius præſentia turbatus reus, conſuetudinē cum illa ſe blanditiis prouocante confeſſus eſt, ceterum ullam de nuptiis factam mentionem aut de iis datam fidem, negauit. tum Balanus in iudicis officio pergens confeſſionem ſcripti ab amanuenſi mandari iuſſit, & à reo ſubſcribi, tandemq́; & teſtium fide & ſua ipſius confeſſione conuictum ad mortem damnauit: & qui iudicis, accuſatoris, teſtis, cognitoris partes hucuſq; impleuerat, ad extremum etiam carnificis vicem implere voluit, & miſerum hominem, Dei & hominum fidem implorantem, & hoſpitali menſæ ſacra violari nequicquam quiritantem, ſtricto pugione confodit, ſtatimq; corpus ad ſuo remiſit. Ad Nauarrum autem, à quo arci impoſitus fuerat, ſcribit, rem ordine denarrat, exemplum actorum cauſſæ tranſmittit, retentis ſecum, quas reus ſubſcripſerat, paginis; iuſtum dolorem graui iniuria prouocatum, in quo tamen iudiciarius ordo ſeruatus eſſet, excuſat, facto veniam petit, traditurum ſe cuicunque iuberet Nauarrus, arcem profeſſus. Fides mox extitit verbis eius, cum Nauarrus, temporum perturbationi obſequendum ratus, venia, quanquam atroci facinori datâ, alium arci præfectum imponeret.

In defendendo ac propugnando, quod ſummis poteſtatibus debetur, iudiciorum iure, non recte videntur incedere, qui in hiſtoria Caini parricidæ putant, Deum tum demum, cum metuenti cædem Caino reſpondiſſet, nemini ius fore occidendi eum (*Gen.* 4.) *id quod naturaliter licitum videbatur, edicto repreſſiſſe.* Nunquam enim, à primo rerum conditu, cuiquam recte cogitanti naturaliter licitum videri potuit, vt interficeretur à quocunque obuio, etiam noxium caput. Et Cainus cum hoc metuit conſcientiæ angoribus perturbatus, non iuris naturalis dictatu eruditus loquitur. Illud enim, *Non occides*, *Vide Grot. de I.B.1.2.5.*

 in

in hominum animis inſcriptum, adeoque dictamen vere naturale à nemine ignorari poterat. cuius non hic modo ſenſus eſt, neminem innoxium occidendum; ſed ne noxios quidem temere aut à quouis, qui eius rei nullum mandatum vel à Deo vel ab iis, in quos Deus ſummam iudicandi poteſtatem contuliſſet, occidendos eſſe. Et ille, qui dixerat, ſiue in animo primorum hominũ promulgauerat, *non occides*; non ſerius nec aliter, conſtituerat ordinem imperandi parendique, adeoq; coercitionem facinorum nõ reliquerat in dubio, aut promiſcuam, quando parentes honorandos, & ſummis poteſtatibus obſequendum dictauerat. Rectiſſime itaque magni Theologi hiſtoriam Caini ita interpretantur, vt dicant: *nihil* aliud (*Gen.* 4. *v.* 15.) quam generalem legem hic poni, qualis & ante animis hominum inſita, & poſtea in Decalogo repetita eſt, *non occides*. Sed neque Lamechus ab hoc exemplo, coniecturam diuinæ voluntatis in legem duxit, alio argumentandi genere, quàm de quo dictum eſt. ne dicam de diuerſis interpretationibus, quibus ille locus obnoxius eſt. Quare nec illa verba, admitti poſſunt: *Deum inſtaurato poſt diluuium humano genere, permiſiſſe, ut inſon eſſet, qui homicidam occidiſſet, quod poſtea inſtitutis iudiciis ſummas ob cauſſas ad iudices ſolos reſtrictum eſt.* quaſi aliquando promiſcua cædis in nocentem licentia valuiſſet, quod omnino probari nequit. Nunquam fuit tempus ab orbe condito & genere humano multiplicato, quo, remota iuris auctoritate, cuiuis iudicium ſibi in alios vindicare liceret. neque enim credo, facinora hominum prauorum pro permiſſo iure quiſquam nominauerit.

Vid. comment. Phil. Mel. inchr. in Gen.

Multo minus tolerari poteſt, cũ ad oracula Noui Fœderis acceditur, illa totiens in illuſtri opere occurrẽs ὑπόθεσις Photiniana, *quaſi Chriſtus longe perfectioris quam in V. T. erat legis auctor, quædam quæ ante non præcepta erant, præceperit,*

Grot. de I. B. 1, 2, 6. &c.

rit, aut ſublimiori certe gradu & latitudine præceperit. Valere enim hic debet, quod prolixius probat *Iſidorus* *Peluſiota*: ὅτι καινοτομίαν δόγματος οὐδεμίαν τῷ νόμῳ καὶ τοῖς προφήταις ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς ἐπεισήγαγεν, *quod nouitatem doctrinæ nullam legi & Prophetis Filius Dei ſuperinduxerit.* Epiſt. lib. 1. ep. 127.

Iam quod de *lege Moſaica quæ ad iudicia pertinebat*, adfertur, primo ad rem parum forte facit. Fac enim, *Iudæos etiam ad Chriſtum conuerſos, ſi ad magiſtratum vocarentur, eum defugere non potuiſſe, ſed iudicia ad præſcriptum legis Moſaicæ ſubire debuiſſe.* Non ſtatim inde colliges: ſi Romani, quorum erat tum in Iudæos ſumma iuriſdictio, permiſerunt iis quædam iuxta legem Moſaicam iudicare, neq; Chriſtus & Apoſtoli, quo minus id fieret, inhibuerunt, ergo aduentus Chriſti legem illam Moſaicam nō finiuit. Durum deinde eſt, dicere: *nullum in lege Moſis terminum iſti legi præfinitum eſſe.* Quid enim faciemus dicto *Genſ.*49.v.10. in quo tanto conſenſu vetus & iunior Eccleſia hunc quoque ſenſum agnoſcit. Durum amplius eſt dicere: *neque Chriſtum neque Apoſtolos vſquam de legis iſtius ceſſatione locutos eſſe.* Non dicam de loco *Pauli ad Epheſios*, vbi νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι *legem præceptorum in decretis ſitam*, vnde lex forenſis non poteſt eximi, Chriſtus *deſtruxiſſe* perhibetur. Chriſtus certe & Apoſtoli, tota vita ſua & exemplis, quod potentiſſimum docendi genus eſt abunde Rōmanam iuriſdictionem confirmarunt, atq ad alias & Cæſaris Romani leges potius quam ad Moſaicas reſpiciendum dehinc eſſe, declararunt. Fruſtra etiam dictum Chriſti in alienam ſententiam trahitur quando dicit: *non veni ſoluere, ſed implere legem.* De qua enim lege ibi ſermo ſit, & quo propoſito id dicatur, ex tota illa grauiſſima Seruatoris ὁμιλίᾳ, nemini obſcurum eſſe poteſt, ne dicā de interpretū auctoritate, non vno nomine venerabili.

Grot. de I. B. 1.2.7.

2.15.

Matth. 5. 17.

Hæc igitur poteſtas iudicandi ſiue dicendi iuris, de

qua hactenus aliquid annotamus, ſemper maieſtatis ſiue ciuilis ſummæ poteſtatis pars eſt, & ab ea vel in magiſtratus deriuatur, vel aliis curatoribus committitur, prout formæ reipublicæ, temporibus, conſuetudinibus, aptiſſimũ videtur. Sicut magna varietate docere poteſt Hiſtoria Rerumpublicarum veterũ & recentiũ. quam ſi quis partitim cõſiderare velit, notabit *primo*, quæ ad ipſam poteſtatem iudicandi, vel ſummam, vel iure magiſtratus aut lege competentem pertinent; *deinde* exemplo *Ariſtotelis*, modum & conſuetudinem conſtituendi ſingulos iudices, aut collegia iudicum, ex cenſu, ex genere aut ſuffragio, aut ſorte, iſque vel ex omnibus, vel ex quibuſdam, vel etiam mixta vtraq; ratione, quæq; alia huius loci ſunt, obſeruabit *poſtea*, eiuſdem ſummi Philoſophi more, [illegible], ſiue quæ pro diuerſis cauſarum generibus, tribunalia publicis priuatiſque litibus attributa ſint, cognoſcet: *porrò*, ipſam formulam (proceſſum vulgo vocant) & ordinem legum exercendarum & iudicii habendi, ſpectabit: *deniq.* quæ ad iudices ipſos attinent, vel eorum *voluntatem* dirigere, vel *facultatem* inſtruere, vel *opus* definire, animaduertet: qualia ad *virtutem* & *officium iudicis* vulgo referuntur. Iudiciorum Romanorum conſuetudinem late ſparſam in hiſtoria & iure ciuili tradere aggreſſi ſunt *Carolus Sigonius tribus libris de Iudiciis*, & *Franciſcus Polletus* commentario, cui titulum dedit, *Hiſtoriam fori Romani*. Hi nunquam, ex antiquitate ſtuduerunt pleraque colligere, non vt contenti his eſſemus, ſed vt fontes ipſos, ſcripta ſcilicet Hiſtoricorum, & Ciceronis præſertim, tum Philologos veteres adiremus. Sic etiam, qui leget, quæ ille ipſe *Carolus Sigonius de Iudiciis Athenienſium*, *Jo. Meurſius in Areopago* ſcripſerunt, excitabitur, opinor, vt cupiat cognoſcere, quæ doctiſſimus *Pollux*, *Xenophon*, *Plutarchus*, *Græcorum mores* de hoc argumento tradiderunt. *Germanicorum Iudiciorum*

con-

Margin notes: *4. pol. 16* (at "tentem pertinent"); *lib. 8. onomaſt.* (at "hoc argumento")

conſuetudinem Iuris publici priuatiq; ſcriptores copioſe
explanarunt. de antiquioribus autem ſæculis, non eodẽ
modo res ad liquidum deducta eſt. De officio & virtute
Iudicis, *Philonis Iudæi* elegans libellus extat. nec parum
conducunt *Stobæi Eclogæ*: tum in hiſtoria fabulari, Mi- *ſerm. 155. &*
noi, Æaci, Rhadamanti exempla. Ex Iunioribus ſupe- *156.*
riori ſæculo *Claudius Cantiuncula* Iureconſultus *de officio*
iudicis duos libros edidit, quibus tres quatuorue addere de-
ſtinauerat: *Erycius* autem *Puteanus* primoribus lineis deſi-
gnauit *Iudicem*; inhærentque oculis aliorum quoque
labores. Quod ſi lubet huc conducere materiam *de pœ-*
nis, obuia eſt ſcriptorum enumeratio: ad quam non di-
gredimur, quibus conſtitutum eſt, hac vice, quædam de
ſingulis iuris dicendi partibus afferre, & denique ad
comparationem Piſonis apud Tacitum aliquid annotare.

Iam ante dictum eſt: totam iuriſdictionem cum o-
mnibus ſuis partibus ad maieſtatem ſiue ſummam ciui-
lem poteſtatem pertinere: quam qui habent, cum non
poſſint omnia per ſe peragere, conſentaneum eſt, iuriſdi-
ctionem committi aliis, vel iure magiſtratus vel lege be-
neficioue aut mandato ſpeciali: idque rurſus, vel per o-
mnes, vel per quaſdam iuriſdictionis partes; itemque vel
in hac aut his, vel in alia aut aliis obiectorum ſpeciebus:
prout ſupremæ poteſtati viſum fuerit. Quæ vt recte o-
mnia obeantur, quid oporteat, & quid deceat in ſingulis,
ſtudioſe exquiritur.

Cognitionis, quæ prima iuriſdictionis pars eſt, *neceſ-*
ſitatem, & *diligentiam*, non tam leges aut mores poſtulant,
quam ipſa naturalibus ratio præſcribit exigitque. Ipſius
naturæ vox eſt apud *Tacitum: cuicunque defenſionem tri-* 13 *A.* 16.
buendam. etiam nocenti. nam qui *inauditi atque indefenſi*
pereunt, tanquam innocentes periſſe videntur, ſicut ipſe *Hi-*
ſtoricus, eandem rationem ſecutus, pronuntiat. Reperiun- 1. *H.* 6.
tur

tur tamen cauſſæ, in quibus Iudices, præſertim ſummi, cognitionem omitti poſſe, exiſtimauerunt: Si crimen manifeſtum eſt, & re ipſa comprobatum; tum, ſi naturalis iudiciorũ ordo, ſine ſummo reipublicæ periculo, teneri non poteſt, quod poſtremum ſcilicet itidem de aperto ac indubitabili facinore intelligendum eſt. Ponamus exemplum. Conſtet Principi, non coniecturis & probabilibus argumentis, ſed certa rerum fide, aliquem inſidias ſibi, aut proditionem, reipublicæ parare; neque tutum ſit, ad cauſſam dicendam vocare ſontem. Annon liceat, prætermiſſa cognitione ſcelus punire? Nulla ætas dubitauit, quin liceret. Exempla ſunt notiſſima. Vbi duo tamen no[illegible] primo, requiri hic tam certam criminis fidem, quali quæ poteſt morali æſtimatione maxima eſſe; ſed & periculi publici ratiocinationem non qualemcunque, ſed quæ poſſit viri prudentis iudicio prorſus ſatisfacere, intelligi: deinde, rumoribus & ſiniſtris iudiciis plurimum obnoxia eſſe, quæ ex tempore, quacunque de cauſſa, exercentur ſupplicia. quæ res facit, vt nõ minus de quæſtione conſilii, quam de quæſtione iuris hîc cogitandum ſit. Legi digna ſunt,

lib.2. quæ de Ancræi in Gallia cæde iuſſu Regis facta, apud *Gramondum*, diſputantur, cum vltio quidem ipſa & vltionis cauſſa nemini non approbaretur, vltionis modus pler[illegible] diſpliceret. Si licet bona cum æqui lectoris venia hoc interſerere, ſatis ſcio *Gramondum*, quem non ſemel & a[illegible] laudaui, apud populatium ſuorum doctiſſimos exiſt[illegible]tionem Hiſtorici parum tueri, neque cauſas eius rei [illegible]tas habeo. ſed teſtimonio eius recte ac in tempore [illegible]lentibus magna plerumque ratio ſupereſt. De re i[illegible] lud non addam; ſæpe ſperato deſtitui ſucceſſu, q[illegible] hunc modum repræſentantur ſupplicia quemadmodum,

lib.91. vt ex multis vnum adferã, nece Guiſii, *Thuano* memorata, cognitum eſt. Sed hæc humana præuideri ſollertia non

ſun-

ſemper poſſunt, &, vbi propius periculum imminet, de remotiore vix tam accurate cogitatur.

Loquimur autem hactenus de præterito cognitionis ordine in cauſis, quæ certius quam coniecturis, &, quas Iureconſulti vocant præſumptionibus, compertæ ſunt. Nam in reliquis, quam ſit res ancipitis aleæ plena, multis poſſumus & magnis exemplis doceri. Quis non aduerſus Turnum Herdonium coniecturam feciſſet, apud *Liuium*, quando protractis vndique ex domo eius gladiis, crimen inſidiarum in Regem, falſo ſtructum, arguebatur? lib.1.cap.51.
Innocens tamen fuit, qui *indicta cauſſa* punitus eſt. Quam facile Alexander pleriſque coniecturam ſuam de Siſine probaſſet? *accepit litteras re vere magna & occulta, imo ad ſe venerunt exhortantes, non adiit me, non detulit indicium, ſed* apud Curt. 3.1.
ſuppreſſit. ſceleſti conſilii manifeſtus eſt. At qui ſine accuſatione ita accuſabatur, & ſine cognitione plectebatur, reuera innocens fuit. Adde Antiſtii Petronis exemplum, à Tarquinio Superbo cæſi apud *Dionyſium Halicarnaſſenſem.* lib.4.
Memoranturque huius generis alia in hominibus homicidii male ſuſpectis, male damnatis. Quare nunquam probare *Clapmarium* potui, qui Parmenionem iuſte occiſum pronuntiat: cum ad eam veritatis fidem, quæ hic requiritur, non pauca deeſſe animaduertantur. Sicut autem hic de *præſumptionibus* & coniecturis locus, multis, V. Alciat. de præſum-
pro inextricabili habitus, forte in ordinem concinnari & ptionib. pr.
ſerie bene contexta plenius proponi poſſet, ope præſertim *antiquorum Rhetorum*, qui diligenter viam pedum viderunt: ita iudicis ſumma cautio eſſe debet, ne animoſius aut ſecurius præſumptionibus etiam violentis, vtendo, putetur interdum *præſumptiue* agere, alio illo ſenſu, qui in vitio eſt & temeritatem notat. Sic in cauſſa Siſinis & Turni, nimis cito ad coniecturas decurſum eſt cum de veritate aliter & aliunde conſtare potuiſſet, ſi auditi eſſent. Qua-

re tutius & in publicum vtilius eſt dicere: in cauſa capitis ad damnandum inaudita cauſſa reum, præſumptionibus iudicem, etiam ſummum, niti non debere. Nam facti euidentiam, iam ante à coniecturis diſtinximus,

Diligentia cognitionis multo labore, ſollertia, patientia conſtat. ad quam interim omnes iudices naturaliter obligantur. quis enim recte ſententiã ſe ferre poſſe autumet, de re, quam non ſatis accurate cognouit? Hinc illæ tot formulæ, & ſollennia fori olim & hodie. de quibus *Fa-*
lib. 5. inſti- *bius Quintilianus* tam exquiſite egit, vt non magis ſui
tut. orator. quàm noſtri ſæculi homines, ſi qua [illegible] æſtimatio ſupereſſet, erudiſſe videatur. Vtut autem maxima veri ſequi debeant in cognoſcendo diligentia Iudices, abeſſe tamen calliditatem, nimiam aſperitatem, ſuperſtitionem & vicinas ſuperſtitioni opiniones vulgi, fas eſt. Propinqua interdum virtutibus iſta vitia ſunt. *Suetonius* exemplum
in Claud. judicis *in cognoſcendo circumſpecti & ſagacis* agnoſcit in fa-
cap 15. cto Claudii, qui *fœminam non agnoſcentem filium ſuum, dubia vtrimque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio iuuenis.* At ſi iudices hanc ſagacitatem
declam. voluiſſent imitari, qui in cauſſa *Quintiliano* deſcripta iudi-
306. care debuiſſent, *vbi filius expoſitus matris non agnoſcentis nuptias, præmium fortitudinis petiit*, in calliditatem degeneraſſet diligentia eorum. Non enim ſtatim colligere debuerunt: *illa abnuit matrimonium; ergo mater eſt.* Nam & vetulæ, poſt tot annorum viduitatem caſtiſſimam, abunde cauſſarum erat, cur abnueret nuptias iuuenis. Rectius itaque condemnarunt petitorem, qui argumentis de cetero idoneis deſtituebatur. Manifeſta eſt, quã *Tacitus*
2. A. 30. refert & damnat, Tiberii vafrities, in cauſſa Libonis. *Vetere enim veteri ſenatuſconſulto quæſtio in caput domini prohibebatur callidus & noui iuris repertor Tiberius mancipari ſingulos actori publico iubet: ſcilicet vt in Libonem ex ſeruis ſalvo SCto quæreretur.*

Digitized by Google

Nimia aſperitas in cognoſcendo, plerunque diligentię obtentu, ſe tueri ſtudet. nā de cupiditate puniendi ac ſæuiendi, crudelitate item ſuppliciis gaudente, quæ animum cognoſcentis aliquando occupat & latet Deus occultorum inſpector iudicat. Alius eſt, qui non æque latet, rigor ille immobilis, quo omnia ad lenitatem & humanitatem ducentia momenta, inter cognoſcendum negliguntur & quodammodo proiiciuntur. Qua in re, qui ex mandato cognoſcunt plerumque mandati formula defenduntur niſi quod meminiſſe debemus, nullis mandatis humanitatem in ipſam tolli. Amplius autem, quæ in hoc genere peccantur in abuſu tormentorum perſpiciuntur. Quæ nemo miretur, ad cognitionem à nobis referri; cum tormenta alias imperii dicantur eſſe potius, id eſt, alterius partis, in poteſtate iudicandi. Aliud eſt enim quærere, cuius ſit tormenta decernere, cum magiſtratus iudicant: aliud de cauſſa & vſu tormentorum loqui. quo pacto ad probationes referunt Veteres quæſtionem per tormenta; probationum autem omne genus, cognitioni tribuunt in dicendo iure. Multis modis circa *hanc exhibendæ veritatis fidem*, peccari poſſe, ex mente accuratiſſimi Scriptoris *Q. Curtii*, in cauſſa Philotæ, oſtendemus. Decernitur in conſilio Alexandri *quæſtionem de Philota, vt participes ſceleris indicare cogeretur, habendam eſſe.* Suaſerat hoc decretum Craterus homo Philotæ inimicus ac æmulus: ſuaſerat hoc fulcro ſententiæ; culpam ſilentii, non in alium quam participem ſceleris cadere, neq; contemtum ſed celatum indicium debere iudicari, quod Alexander iam, vt negligentiæ, non vt diſſimulatori, ignouerat. Poterant participes ſceleris, qui adhuc latebant, ex aliis ſciri, quibus minore inuidia quæſtio per tormenta adhibita eſſet, antequam ad illuſtrem virum Philotam, ex noua & emergente cauſſa deueniretur. ¶In eo præſertim non fruſtra vide-

Curt. 6. 8. 51. c.1.4.

G. Langla. ſemeſtr. 91.

adde Eundem 73. Curt. 6. 11. 14. & 15. tur Philotas *iura gentium* inuocaſſe, quod à *confeſſo* etiam, *vt in tormentis eadem diceret* exactum eſt. Licet enim iure ciuili conſtitui potuerit, vt confeſſus etiam ad inueſtigandum totius criminis ordinem, & noſcendos ſocios ac participes, torqueatur: ius naturæ tamen, quod Philotas, hic *iura gentium inuocans*, laudat, non fauet illi ſeueritati, ex qua nihil præter modum, & vnicam illam rationem, probari poteſt, ſi aliter veritas reperiri nequeat. Quanquam & ſic ſemper dubitatum eſt: neq; ſine cauſſa *Ludouicus Viues* exiſtimat; *fortiſſima eſſe, quæcunque contra tormenta apud antiquos dicuntur, quæ vero pro tormentis, imbecilla.* *Idem*, qui *Auguſtini* ſententiam, quaſi ad *neceſſitatem ſocietatis humanæ* tormenta referentem, aliter, quam vulgo accipitur, explicat, atque *cum gentilibus & de gentilibus ſermonem eſſe*, oſtendit. *ad Auguſtin. de C. D. 19. 6.* Vtamur iam porro regula *Fabii Quintiliani*, in conſiderandis Philotæ tormentis. *Inſtitut. orat. 5. 4.* *quis præfuerit quæſtioni, quis & quo modo ſit tortus, an credibilia dixerit, an inter ſe conſtantia: perſeuerauerit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutarit: prima parte quæſtionis, an procedente cruciatu.* Præfuerunt quæſtioni Hephæſtio, Craterus, Cœnus partim propria inimicitia, partim ſpecie obſequii aulici in Regem, Philotæ iniqui. *Curt. 6. 11. 15. &c.* *Inimici*, inquit *Hiſtoricus*, *in gratiam regis torquebant* quæ res nimirum partem iudicii inuidia onerat, partem rei miſerabiliorem facit. Quis & quomodo torqueretur vir clariſſimus, [illegible] *cruciatus, igne, verberibus, iam non ad quæſtionem*, nota grauiſſimum iudicium Hiſtorici) *ſed ad pœnam*, laceratur ita vt, *intumeſcente vlceribus corpore flagellorum ictus nudis* [illegible] *incuterentur*, f[illegible] denique tortoribus *ſ*-*p*[illegible] qui præerant quæſtioni [illegible] *os oculosque eius euer*[illegible]*rent*. Quid autem dixit Philotas & qualia fuerunt quæ ipſi extorta ſunt? Ad ſummum proceſſerat cruciatus, antequam quicquam dixit. Tum demũ victus ma-

ga-

gnitudine dolorum, vt omitterentur cruciatus petiuit, quaſi aliquid dicturus. Remotis tortoribus quid dicere deberet, ignorare ſeſe profeſſus, *dic*, inquit Cratero inimico ſuo, *quid me velis dicere*. Rurſum admotis tormentis, narrationem orſus eſt, vel ideo ſuſpectam, quod ab homine mortuo, qui interrogari nō poterat, omnis rei ſeries arceſſitur de vltimo crimine, quod à Dymno enotuerat, conſtanter negat: donec nouis cruciatibus vt id quoque confiteatur, exprimitur. Agnoſcit quidem poſtridie quæ in tormentis dixerat; ſed poſtquam ei viuendi nec ſpes nec cauſa relicta erat. Quid melius de re tota iudicari poteſt, quam quod Hiſtoricus pronuntiauit? *Philotas, inquit, verone an mendacio liberare ſe à cruciatu voluerit, anceps coniectura eſt: quoniam & vera confeſſis, & falſa dicentibus idem doloris finis oſtenditur.* Vnde ſatis intelligitur, *Curtium* de tormentis, præſertim tam atrocibus, idem ſentire, quod ſummus Orator facunde explicat: *Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque tum animi, tum corporis: regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, vt in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur.* Periculum certe in hoc negotio ita eſt euidens, vt iudices quoſuis, de ſumma cautione & moderatione adhibenda, poſſit commonefacere.

Curt. 6. 11. 21.

Cic. pro Sulla cap. 28.

Superſtitionem quoque à cognitione remouimus. Quod genus probationū rudioribus ſæculis erant, duella innocentiæ demonſtrandæ, ſortes, ferrum ignitum, aqua feruens, & ſimilia. Nec nulla hodie occurrunt, præſertim in inquiſitione in veneficas, quæ omnium difficilima eſt. Abeſſe certe a Chriſtiano iudice debent, qualia *Tholoſanus* refert. Poteſt etiam fieri, vt ſuperſtitio accedat, ad cauſam effluxionē ſanguinis ex cadauere, præſente homicidii auctore, vulgo Baarrecht/appellant: quæ Græce eſt [illegible]*is*. Si enim per miraculum diuinum illa effluxio

de rep. lib. 13. cap. 30. & 5.

 ſan-

ſanguinis fit, quæ multorum eſt ſententia, in exemplis non ſuſpectis aut exaggeratis, fideque dignis: periculoſum eſt captare diuina miracula & prouocare, ſicut aliunde conſtat. cum præſertim factum eſſe ſciamus, vt admoto cadaueri vero homicida, & coacto manum vulneri imponere, adhibitis etiam precibus & inuocatione diuini numinis, nullum tale indicium compareret: quanquam poſtea aliis modis crimen compertum eſt. Exempla varia admiranda referuntur. ſed, cum in veſtigatione cauſſarum omnia ſint ambigua, incerta, imperſcrutabilia, nulla cautio prudenti iudici nimia videri debet.

Wehner. obſ. pract. & Beſold. Theſ. pract. voc. Baarrecht.

Proponuntur apud *Aulum Gellium* a Fauorino duæ quæſtiones, ad diligentiam iudicis cognoſcentis pertinentes. Prima eſt: *debeat ne iudex inter cognoſcendum, ea, quæ dicto quæſitoque opus eſt, dicere & quærere, etiamſi is, cuius ea dici quæriq. intereſt, neque dicat neque poſtulet.* Qui negabant, *patrocinari prorſus hoc eſſe, aiebant, non iudicare.* Quin tamen ſubuenire debeat hoc pacto diligentia iudicis vel ſimplicitati hominum, vel aduocati imperitiam ſupplere, denique ne quid ad plenam & quantacunque haberi poteſt facti notitiam deſit, prouidere, vix dubitandum fuerit. præſertim quia reipublicæ intereſt, ne innocens quiſquam condemnetur, adeoque nihil præſidii innocentiæ etiam à iudice denegetur. Atque hoc non fuerit Rei, ſed Reipublicæ cauſſam agere, quæ prima iudicis lex eſt. Altera quæſtio Fauorini hæc eſt: *an ex vſu ex que officio ſit iudicis, rem cauſamque, de qua cognoſcit, interrogationibus ſuis ita exprimere conſignareq., vt ante ſententiæ tempus, ex his, quæ apud eum in præſens confuſe varieque dicuntur, proinde, vt quoquo in loco ac tempore mouetur, ſigna & indicia faciat motus atque ſenſus ſui?* Diuerſum ſenſiſſe hic & feciſſe iudices, ipſe addicit. *nam qui iudices, inquit, acres atque celebres videntur, non aliter exiſtimant rem,* quæ

lib. 14. cap. 2.

ae agitur, indagari comprehendique poſſe, niſi is, qui iudicat, crebris interrogationibus neceſſariisq́; interlocutionibus & ſuos ſenſus aperiat, & litigantium deprehendat. Contra autem qui ſedatiores & grauiores putantur, negant iudicem debere ante ſententiam, dum cauſſa vtrimque agitatur, quoties aliqua re propoſita motu eſt, totiens ſignificare, quid ſentiat. euenturum enim, aiunt, vt quia pro varietate propoſitionum argumentorumque alius atq; alius animi motus patiendus eſt, aliter atq; aliter eadem in cauſſa, eodemque in tempore, ſentire & interloqui videatur. In priori conſuetudine, plurimum auctoritati tribui; in altera plus rationis demonſtrari, videtur. Illam non ſine periculo exercueris: hæc tutius perſonam iudicis incorrupti gubernat. Nam illa veterum Græcorum elogia, quibus iudex deſcribitur [illegible], ἰσο[illegible], [illegible], ἀκλινής, ἀκ[illegible] τῦ ζυγῦ [illegible] *immobilis aequus, indeflexus*; nō in ferenda tantum ſententia, ſed in cognoſcendo etiam ſpectari fas eſt. Vnde Tiberius in cauſſa Piſonis, boni iudicis imitatione, *ſine miſeratione, ſine ira, obſtinatum* ſe *clauſumq;* præbet, *ne quo affectu perrumperetur.* Et in cauſſa Libonis, *immoto vultu* excipiendus, *libellos & auctores recitat, ita moderans, ne lenire, neue aſperare crimina videretur.* Parum equidem ſinceri pleraque Tiberii iudicia habent, quatenus ad infitiandam dominationis aut acerbiſſimæ tyrannidis myſteria feré aptantur, vel etiam tegendis variis conſiliis deſtinantur. Vnde *Hiſtoricus*, non cognitionem, ſed *imaginem cognitionis* in Piſoniano negotio agnoſcit. Sed iſtæ ſimulationes tamen veritatis ſpeciem aſſumunt, voluntq; ſub laudatorum iudicum exemplo latere, quicunque non Deo & reipublicæ, ſed ſibi & ſuis libidinibus ſanctiſſimum officium adminiſtrare inceptant. apud Polluc. 8.3. Tac. 3. A. 15. Tac. 2. A. 29. Tac. 3. A. 17.

In *ſecunda parte iuriſdictionis*, quæ nomen generis ſibi vindicat ſæpe, & *in ſtatuendo iure* verſatur, vel maxime

cerni diſcrimen iuſti ac iniqui iudicis putatur. Ita enim ferenda eſt ſententia, ſicut lex diuina & humana dictat. Et ſumma quidem poteſtas, ſicut liberius diſpicere poteſt, quid lex diuina per naturam aut ſcripturam ſiue præcipiat ſiue ſuadeat, adeoque patenti ſemper via ad æquitatem procedit; ita nec magiſtratibus & inferioribus iudicibus, omnis facultas, certi generis ſcilicet, temperandæ per æquitatem iuſtitiæ adempta eſt. Sed de illa quidem elegantiſſima diſputatione, qua omnis æquitatis fontes inquiruntur, alias egimus. *in calculo Minerua.* *Ariſtoteles* incomparabili diligentia excuſſit hunc locum, non in *Ethicis* modo, ſed præcipuè in *Rhetoricis*: *5. Nicom. 1. Rhet. 13.* vnde apparet, æquitatem partim rigori iuris ſiue [illegible], partim calumniis & verſutiæ ſollertiæ oppoſitam eſſe; iureque naturæ, &, quæ maximè ſecundum naturam eſt, vtilitate reipublicæ, adeoque virtute ciuili, totam gubernari. Huius pulcerrimæ ſcientiæ periti ſſimi fuerunt veteres Romani Iureconſulti, qui vbique, cum de iure reſponderent, magnam ſibi æquitatis rationem habendam exiſtimauerunt, ſuumq; exemplum omnibus iudicandi munere recte vſuris commendarunt: ſicut ex iis, quæ ſuperſunt, luculente intelligitur. Ne tamen degeneret hoc æquitatis ſtudium, ſiue ne iudex peruerſam gratiam gratificando cuiquam, non tam æquitatis ſtudioſum ſe quàm imperitum præbeat, cautiones graues ſuggerit, *tom. 1. orat. 5.* *Suaſoria Libanii de Aſſeſſoribus Magiſtratuum & Iudicum.* Mouet *Philo Iudæus* illam dubitationem de æquitate: *de Iudice* *qui factum ſit, vt lex Diuina humaniſſima alias perſonam pauperis in iudicio reſpici vetaret?* *Exod. 23. 6. Leu. 19. 15. Deut. 1. 17.* Scilicet alia eſt ratio pauperis, vt egeſtas eius ſubleuari deſiderat alia, vt ſocinus admiſit. In priore ſtatu, beneficentia & beneuolentia pauperibus lege diuina humanaque debetur; in poſteriore, animum facientis & mores, non fortunam ſpectare, fas eſt. Atque hoc ipſum eſt, quod æquitas dictat,

ne fortuna potius quam animus & cauſſa partium, in iudicio conſideretur. niſi cum premitur à potentiore & iniuria afficitur pauper. tum enim perſonæ infirmitas, tanto diligentius tuenda eſt iudici, quanto minus in ſe opis habere animaduertitur, ſicut lex diuina alibi explicat.

Celebris eſt, & magno ſtudio agitata ſæpiſſime quæſtio, quam apud *Gellium* Fauorinus proponit: *ſi iudex forte id ſciat, ſuper qua re apud eum litigatur, eaque res vni ei, priusquam agi cœpta aut in iudicium deducta ſit, ex alio quodã negotio caſuq; alio quo cognita liquido & comperta ſit; neq; id tamen in agenda cauſſa probatur; oporteatne eũ, ſecundũ ea, quæ ſciens venit, iudicare, an ſecundũ ea, quæ aguntur?* Vulgo ita proponunt: *An iudex ſecundum acta & probata, an vero ſecundum conſcientiam iudicare debeat?* Alii: *An iudex iudicare ſecundum acta & probata contra propriam ſcientiam poſſit?* Vbi poſt magnum *Theologum Io. Gerhardum*, *Gregorius Biccius Iureconſultus*, inſigne nuper Academiæ noſtræ ornamentum, recte notauit, *acta & probata*, accurate loquendo, non poſſe opponi conſcientiæ. adde, nec ſcientiæ. ſi enim vere *probata* ſunt, quæ probari debebant, nec cõſcientia iudicis habebit quod repudiet, & ſcientia cum probatis coincidet. contra id enim quod ſufficienter mihi probatum eſt, nihil poſſum ſcire. aut ſi quid aliud ſcio, prius ſufficenter probatum mihi non ſit, neceſſe eſt. Non eſt autem conſilium, recoquere aliis diſputata; hoc vnum liceat cogitandum ſuppeditare prudentioribus, quod opinor: Talem caſum, in quo reuera huic difficultati locus ſit, in terminis, vt ſcholæ loquuntur, præciſe ſumtis, dari non poſſe; certe non oſtendi datum. Si enim certa ſit ſcientia iudicis (de alia vtique hic non diſputatur) quis dubitet, quin inter cognoſcendum idonea offeratur occaſio, deprehendendi vitia probationis, ſiue id quod deeſt probationibus, vel inani

lib. 14. cap. 4.

loc. de magiſtrat. polit. §. 292. Aure. ſect. 5. th. 153. not

 ſpe-

lib. 14. cap. 2. ſpecie aut fraude obtenditur, animaduertendi?

Affinis eſt quæſtio, quæ *Gellium* mouit, vt iuraret, ſibi non liquere. Petebatur apud eum pecunia, quæ dicebatur data numerataque. Petitor vir bonus, notæque & expertæ fidei, vitæque inculpatiſſimæ, neque tabulis neque teſtibus factum docebat, & argumentis nitebarur exilibus. Is, vnde petebatur, probri perfidiarumque ac fraudum plenus, poſtulabat probari cōſuetis modis pecuniam datam, expenſi latione, menſæ rationibus, chirogaphi exhibitione, tabularum obſignatione, teſtium interceſſione. Horum cum nihil fieri poſſet, viri exercitati atque in patrociniis & in operis fori celebres, in conſilium rogati, *nihil eſſe dubiū dicebant, quin abſoluendus foret, quē accepiſſe pecuniam nulla probatione ſollemni docebatur*. At Fauorinus Gellio cōmendabat Catonis conſiliū, qui *ita eſſe à maioribus traditū obſeruatumq́, ait, vt ſi quod inter duos actum eſt, neq́ tabulis neq́ teſtibus planum fieri poſſit; tum apud iudicem, qui de ea re cognoſceret, vter ex iis vir melior eſſet, quæreretur, &, ſi pares eſſent, ſeu boni pariter ſeu mali, tum illi unde petitur, crederetur: ac ſecundum eum iudicaretur.* Sed Gellius non auſus eſt committere, *vt cognouiſſe & condemnaſſe de moribus, nō de probationibus rei geſtæ videretur*. Celebre interim eſt exemplum quo hæc ratio valuit, non ſine fiducia ſcilicet prolata, in M. Scauri cauſſa, qui ita ſe defendit: *Q. Varius Hiſpanus, M. Scaurum principem ſenatus, ſocios in arma ait concitaſſe; M. Scaurus, princeps ſenatus, negat: teſtis nemo eſt: vtri vos, Quirites, conuenit credere?* Hac enim voce effecit, vt iudices, quem abſoluturi erant, ſi pronuntiandū fuiſſet, ab eius accuſatione depellerent Varium. Res eſt profecto parum expedita, de qua tamen forte iſta non præter rem annotari poſſunt. *Primo* enim, iudici, qui non eſt ſumma poteſtate iudicandi præditus, non licuerit vti hoc ordine iudicandi, niſi lex aut con-

Aſcon. Pedian. in orat. Cic. pro Scauro. Val. Max. 5. 8. Quintil. inſtit. orat. 5. 12.

conſuetudo, legis auctoritatem nacta, aut, ſicut in nonnullis tribunalibus obtinet, præiudicia id permittant. neq; ignorauit Cato, qui, *à maioribus ita traditum obſeruatumq;*, dixit. *Deinde*, præcipuum difficultatis in eo verſabitur, ſi quæramus: periculoſiusne ſit reipublicæ, ſi de probationibus rei geſtæ innocentem cauſſa cadere contingat; an, ſi iudicio, quod de facto inſtituitur, ſubſtituatur cenſura de moribus. Quanquam, ſi, *porro*, in conſuetudinem aut legem res iuerit, vtilitatis quæſtio ceſſat neque deeſt, quæ legem aut conſuetudinem tueatur, æquitas. *Denique*, nequaquam negligendum eſt iudicium *Quintiliani*, qui ad *probationes* παθητικάς ſiue *ex affectibus ductas*, cauſſam Scauri retulit. cui generi, omnis, in auctoritate dicentis, id eſt, in externo robore, vis eſt. itaque magis fortuna ac euentu, quam ratione proficit.

Vicinior eſt quæſtio, quàm *Bodinus* in hunc modum tractat: *At ſi res geſta non niſi Principi aut magiſtratui cognita eſt?* Reſpondet: *teſtem quidem agere vtrique licet, iudicem non licet.* Quod ita crude dictum, admitti nequit, ſi præſertim de eo Principe ſermo ſit, penes quem eſt ſuprema iudicandi poteſtas. quem ſua ſcientia non excludit, ſed obligat iudicis officio: imo interdum efficit, vt repræſentare ſtatim liceat maleficio ſupplicium. Exempla quoque *Bodini*, valde diſcrepant: neque accurate explicantur. Primo enim, *præſidi Bononiæ, qui ſine teſte cædem admitti viderat, ab Azone conſulto ita reſponſum*, refert. Poſtea addit: *Idem reſponſum eſt Henrico II. Regi Francorum à iudicibus, qui extra ordinem Meloduni varias cognitiones ſuſceperant.* Rex Italum familiarem in capitali ſcelere deprehenſum, in carcerem duci iuſſit. Is tædio carceris ex albo reorum eximi, ac vinculis ſolui, quando nullius criminis conuictus, ac ne accuſatus quidem eſſet, deſiderauit. Prætor itaque curiæ cum tribus iudicibus

6. de rep. 6lt.

Regem adeunt, cauſſam iræ requirentes. Rex offenſus iudicibus, quaſi fidem ſuam in dubium vocantibus, iurauit, ſe hominem in nefario facinore deprehendiſſe. Mitigauit animum Regis Annas Mommorancius magiſter militum, cum diceret; non mirari ſe, quod infamiam metuerent iudices, ſi miniſterio ſupplicii potius, quàm religione iuriſiurandi officium ſuum metirentur. ſubtrahendam deinde rumoribus vulgi, ad noua ſtupentis, materiem, ſuaſit. ita nocte inſecuta reus, iuſſu Regio, flumine demerſus, facinoris pœnas luit. Quomodo hic idem reſponſum eſt Regi, quod Azo reſpondit magiſtratui? Magiſtratus enim, præter formulam præſcriptam, iudicare nihil poteſt. niſi quod hoc ipſum formula includi forte contingit, vt iudicet in eo genere cauſſæ, quod tetigimus. Illi autem iudices Galli ſuæ religioni metuebant, non autem regis poteſtatem detrectabant. Potuit Rex vti, & vſus eſt iure ſuo abſque ope magiſtratuum & inferiorum iudicum. neque ei controuerſia ob eam cauſſam moueri potuit. Iudicibus interim facile ignoſcendum videbatur, niſi potius laudandos dixeris, quod præſcriptâ formulâ, quatenus iuriſiurandi religio ineſſet, ex tempore ſolui ſe poſſe non putarent.

Chilonis Lacedæmonii factum, in cauſſa amici, à *lib. 1. cap. 3.* *Gellio* memoratum, breuitatis ſtudio non diſquirimus, quanquam multa ſane & elegantia in eo genere occurrunt: ſed non obiter dicenda.

Properamus enim nunc ad *tertiam partem iuriſdictionis* quæ in exequendo quod ſtatutũ eſt verſatur. Sicut autẽ *iuriſdictionis* vocabulũ nequaquã ad magiſtratus ſolos reſtrinximus; ita *imperii meri & mixti* vocabulis, varie explicatis, ſæpe & implicatis, ſatius eſt forte abſtinere: niſi velimus illo ſignificatu acquieſcere. qui philoſophiæ maxime conſentaneus à *Lampadio* declaratur. Solent fere in

de conſtit. Imp. Rom. part. 3. cap. 15 § 33. & ſeqq.

in hunc locum congeri regulæ de coërcitionibus, & ſupplíciis: quas nihil attinet repetere. Ad cogitandum tamen & diſquirendum iſta conſignamus: *Impleueritne iudicis officium, qui ſtatuti iuris aut pronuntiatæ ſententia executionem intermittit?* vide exemplum Papirii Curſoris apud *Liuium.* *lib. 9. cap. 16.* *An iudex Chriſtianus, ſtatim à pronuntiata ſententia, ſupplicium capitis irrogare poſſit? An is quem ſupplicio capitali afficere decreuit iudex, aut afficiendum ex euidentia facti, nouit, diuturno carcere detineri iure poſſit? An immanes illæ pœnæ, quibus ita excarnificantur homines vt ſe mori diu ſentiant, vtilitate exempli ſatis excuſentur? An ſecreta ſupplicia, ſtatim tyrannidem ſpirent, quod quidam ſtatuunt? An Flaminius inter cœnã reum capite plectens, in gratiam meretricis, quæ nunquam ſe vidiſſe decollari hominem, dixerat, maieſtatis crimen commiſerit? aut, ſi hoc negatur, quod crimini huic nomen dandum? Quomodo accipiendum & explicandum ſit illud Aſconii Pediani:* *M. Sen. controu. lib. 4. contr. 25.* Qui poteſtatem ſuam in adminiſtrando non defenderit, imminuti magiſtratus, veluti maieſtatis læſæ reus eſt? *in Verr. de prat. Vrb.* *An ex dicto Caracalli, quando Papiniano ſecuri percuſſo, percuſſori dixit,* gladio te exequi oportuit meum iuſſum, *Goueanus recte colligat, plus acerbitatis in gladio, quam in ſecuri fuiſſe? An perpetui carceris aut fuſtigationis pœnam, morte redimere optanti, optio concedenda ſit? Quale ſit pecatum Pauli III. Pontificis, qui hominem morte affici iuſſit, quia ſibi adhuc Cardinali parricidium cõfeſſus eſſet, quamuis conſtanter negantem? An tota multitudo ſupplicio affici poſſit? An decimatio probari debeat? An in crimine maieſtatis magiſtratibus aut extraordinariis iudicibus, liceat, totum iudicium, rationibus magis ſuaſoris & politicis, quã iuridicis & legitimis gubernare, obtentu publicæ ſecuritatis? An vllo caſu defendi poſſit, ſi ſacra Regum capita gladio aut ſecuri feriantur?* *ap. Spartiã. in Carac. cap. 4.* Hæc, inquam, & ſimilia multa, hoc loco conſiderari poſ-

ſent, niſi modus adhibendus ſcriptioni eſſet, quæ ex ampliſſima materia aliquid decerpere, & ad rationem iudicandi, tum in vnius, tum in plurium imperio, annotare conſtituit.

Accedendum nunc eſt ad comparationem Piſonis, quando apud Tacitum exiſtimat: *vera aut in deterius credita, iudice ab vno facilius diſcerni, odium & inuidiam apud multos valere.* Ea enim res nos ducit ad conſiderationem iudiciorum in diuerſis reipublicæ formis, aut etiam in vna aliter atque aliter adminiſtratorum. Ac in regno quidem, vt alia omnia, ita etiam iudicia, expeditius, præſentius, liberius conficiuntur. Ecce, vbi ab vnitate diſceſſum eſt, etiam in duobus, diſſidia occurrunt. E primis Romanis conſulibus, Brutus damnabat coniuratos; collega alter Collatinus paris poteſtatis obtentu, abſoluebat, in ancipiti reſpublica erat. Vnde & in S. literis, non tantum exemplo iudicii Salomonis, ſed notabilibus ſententiis iudicii regii vigor laudatur. Notum eſt illud: *Rex, qui ſedet in ſolio iudicii, diſſipat omne malū intuitu ſuo.* Rex, qui conſedit iudex ſine æmulo, ſine conſorte, ſine arbitro; diſſipat malum, abſque contradictione, abſque diſputatione, abſque impedimentis, vel iuris vel facti. Intuetur enim oculo perſpicace; cui alienos colores offerre, nec tutum, nec facile eſt. Et quando Spiritus S. vult deſcribere & ob oculos ponere τὸ ἀκριβὲς ϗ ἀπλανὲς ϗ ἰσα-λιον τῆς δίκης, iuxta *Iſidorum Peluſiotam*, collocat Regem in ſolio, in cuius conſpectu non conſiſtunt mendaces & qui matutinus adeſt, ad perdendos improbos. Iam, quotiens æquitati via & ratio datur, vnius iudicium facile explicatur. Id in animo habuerunt, qui apud *Liuium* inani propoſito, ſententiâ minime vanâ ita diſputant: *Regem hominem eſſe, à quo impetres, vbi ius, vbi iniuria opus ſit: eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio; & iraſci & ignoſcere poſſe, inter ami-*

apud Dion. Halicarn. lib. 5.

prouerb. 20. 8.

Epiſt. I. 321.

Ψ 101. v. 7. & 8.

lib. 2. cap. 3.

micum atq; inimicum diſcrimen noſſe. *Leges* (ſecundum quas ſcilicet *multi* iudices iudicare tenentur; de plurium enim regimine hic ſermo eſt) *rem ſurdam & inexorabilem eſſe, ſalubriorem melioremq; inopi quàm potenti; nihil laxamenti nec veniæ habere, ſi modū exceſſeris.* quæ nude accepta facile refutaueris, niſi ad comparationem aptari meminerimus. Sed hæc vnitas iudicis, ſi dicendum, quod res eſt, facilius optatur, quam obtinetur, inter mortales. Finge vnius imperium. Is, niſi optimus plane ſit & ſapientiſſimus (quales pauci ſemper humanis rebus contigere) non poterit vbique omnia omnium iuſta noſcere: ſed adhibebit conſiliarios. Imo, quis eſt ille tanta ſapientia fiſus, qui non cupiat prudentium virorum conſilia audire, aut ſibi neceſſaria credere? Ergo ab *vno* iam ad *multos* deuenitur. Quæ ſicuti veriſſime dicuntur, ita adhuc tamen magna vnius iudicis, in vnius imperio, excellentia oſtenditur, quod multi quidem cenſere ac ſententiam dicere, vnus autem decernere ac definire, poſſunt. Ille vnus, ſi prudens eſt, facilius *vera* à falſis *diſcernet*, vt *Tacitus* ait: ſi non malus quidem, ſed conſilio negotiis imp[illegible] iam nomine *Vnus*, revera *multi* debent iudices exiſtimari. Si prauus eſt, & tyrannus, qui vnus iudicandi poteſtatem habet, tum inuertitur votum Piſonis, & ab vno ad multos non prouocatio quidem, ſed optatio, fieri ſolet.

Odium & inuidiam apud multos valere, contingit (quis enim negauerit?) niſi legibus accurate & ſeuere latis, hi animorum motus compeſcantur. Quo maior iudicantium multitudo, eo maius periculum: & vbi iudicia populi ſunt, maximum. Teſtula Athenienſium facit, vt demonſtratione nulla ſit vtendum. Nec Romana hiſtoria caret exemplis eorum, quibus nullam ſua innocentia opem tulit. Sed, vt cœpi dicere, legum auxilio ordinari poſſunt, quæ ſibi relicta aberrant. Vnde, ſi palam di-

cuntur ſententiæ, diſciplina ſingulari opus eſt. Sin tacita feruntur ſuffragia, ipſa latendi fides, perturbationibus apud pleroſque conceptis, favere videtur. *Quoto enim cuiq; eadem honeſtatis cura ſecreto, quæ palam?* inquit *Plinius*. Vnde tam ſolicite monet *Cicero* iudices *in Rabiriana*: *quid deceat vos, non quantum liceat vobis, ſpectare debetis. ſi enim, quid liceat, quæritis, poteſtis tollere è ciuitate, quem vultis. tabella eſt, quæ dat poteſtatem, occultat eadem libidinem. cuius conſcientia nihil eſt, quod quicquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam.* Et quantum odia ac inuidia in multitudine iudicum poſſint, vbi ſemel à lege & probis moribus receſſum eſt, ſatis magno exemplo dequeritur *Salluſtius*. *Iudicia, tametſi, ſicut antea, tribus ordinibus tradita ſunt, tamen iidem illi factioſi regunt; dant, adimunt, quæ lubet: innocentes circumueniunt: ſuos ad honorem extollunt. non facinus, non probrum aut flagitium obſtat, quo minus magiſtratus capiant: quod commodum eſt trahunt, rapiunt: poſtremo tanquam vrbe capta, lubidine ac licentia ſua, pro legibus vtuntur.*

Ep. 3. 20. *cap. 5.* *orat. 2. de rep. ord.*

7 Sed videbimus, quomodo Piſoni ceciderit votum ſuum, quique totius cauſſæ exitus fuerit. Cum enim petitum eſſet à Principe, vt cognitionem exciperet, reo non inuito, qui ſtudia populi & patrum metuebat: Tiberius, invidiæ & ſupicioni obnoxiam rem cernens, per imaginem quandam cognitionis, *paucis familiarium adhibitis minas accuſantium, &* ex parte rei, *preces audit*, nullaque ſententia pronuntiata, *integram cauſſam ad ſenatum remittit.* Incedebat enim fama, quaſi Tiberius ipſe Germanico in externas terras quaſi relegato, cauſſa mortis per Piſonem hunc Syriæ legatum fuiſſet. Maluit itaq; Senatui, negotium permittere: *integrum* ſcilicet *iudiciū* vtrique parti *oſtentans*. Quare & in curia meditato temperamento diſſeruit: *integris animis diiudicandum*, diſcordia

Tac. 2. A. 83. & Suet. Tib. 52.

dia

diâne reus an veneficio in Germanicum peccaſſet; res nouas molitus eſſet, an intra hoc crimen deliquiſſet· neque enim *objecta crimina pro approbatis accipi, fas eſſe.* Hæc ad Senatores, tanquam ad iudices. in curia enim de morte Germanici anquirebatur. Accuſatores Piſonis monuit, vt temperatis nimiis in Germanicum ſtudiis, quantum tamen labore & conſtantia poſſent, cauſſam agerent. Patronis rei itidem animum addidit, vt periclitantem iuuarent, neq; eloquentiæ aut curæ quicquam omitterent, ſi quid haberent, quo innocentia ejus ſubleuari poſſet. Eſt hæc oratio inter præcippa eloquentiæ Tiberianæ, profundis regnandi artibus deſtinatæ, ſpecimina, vniceque id agere videtur, *ne odium & inuidia apud multos* in iudicando *valeant*: quod Piſo metuebat.

CrimenPiſoni duplex intentabatur: *veneficiis in Germanicum*; & *laſæ maieſtatis, petitâ arm· republicâ.* In priori crimine, loco probationis aſſumebantur etiā, quæ antea exuto inGermanicum imperatorem ſuum obſequio, *cōtumacia & contumeliis ac prauis certaminibus* peccaſſet. Hæc ſicut infitiari reus nō poterat, ita veneficium viſus eſt diluiſſe. Quanquam interim ex patrum plebiſque animis eximi non poterat ſuſpicio, fraude profecto inſidiiſque Germanicum interiiſſe, miniſterio Piſonis. In altero crimine, abunde demonſtratum eſt, læſam à Piſone rem publicam, & bellum prouinciæ illatum, quod nec poſtremis ad Principem literis negare auſus eſt.

Quanquam autem, per ea, quæ probata ac evicta ſunt, exitium Piſoni imminere, nullo modo dubitari poterat, niſi quatenus ipſe in Principe aliquid ſpei reponeret: non pauca tamen, præter diſciplinam curiæ, & morem judiciorum, habet illa cognitio. Quo pertinent illæ populi ante curiam voces auditæ; *non temperaturos manibus, ſi Patrum ſententias* reus *euaſiſſet*: & facta; cum 3.A.14.

 effi-

effigies Piſonis in Gemonias traherent ac diuellerent , niſi iuſſu Principis protecta repoſitaq; forent, itemque, quod ſenatū Piſo rurſum ingreſſus, *infenſas patrum voces, aduerſa & ſæva cuncta perpeſſus* eſt. Quæ ſtudia in Germanici memoriam, & odia in reum, inter iudicandum oſtentari, nihil attinebat. Sed nimirum Stoicam de exuendis affectibus philoſophiam, ut ſunt res humanæ, nec curiâ, nec foro Romæ receptam videmus.

Damnationem, cum iam deſperaſſet, ipſe præuenit Piſo, violentas ſibi manus afferens: niſi quod de opibus & memoria eius deliberatum eſt. Sed Princeps libenter moderatus eſt ſeueriores ſententias, quibus non parum adulationis ineſſe ſatis intelligebat. Talia erant: *vt Piſonis nomen Faſtis raderetur; vt Signum aureum in æde Martis Vltoris, & Ara vltioni ſtatueretur.* Et prius quidem exemplo melioris tēporis refutauit Tiberius: cœtera ob *externas victorias ſacrari dictitans, domeſtica mala triſtitia operienda*, decore cenſuit. Quanquam huius generis multa, poſtquam abiecta diſſimulatione propalam exercere infinitam dominationem, ſæculum fuit, vſurpata ſunt, ſicut vel ipſe *Tacitus* docere poteſt, cum refert decreta ob coniurationem in Neronem detectam, *extremo Annali quinto decimo.*

Connexa erat crimini Piſonis cauſſa filii Marci Piſonis, & vxoris Plancinæ. Filius pars ciuilis belli fuerat: ſed miſerationem attulit acerbitas accuſatorum, & inopia patronorū. Minuebatur deinde crimen, ex eo, quod
cap. 17. diſſuaſerat patri arma adverſus rempublicam. Vnde Tiberius pleniſſima æquitatis ſententia, *adoleſcentem crimine ciuilis belli purgauit: patris quippe iuſſa, nec potuiſſe filiū detrectare.* quæ κατὰ συγγνώμην exaudiri ſcilicet debent.
G. Grot. de I. B. 1. 26. 3. Mandata enim patris non excuſant filium à crimine aduerſus rempublicam; vbi obſequium non minus, quam mini-

miniſterium, ſcelus eſt. Pergit autem cetera quoque æquitatis inuitamenta exequi Tiberius: *nobilitatem domus; etiam ipſius* patris, *quoquo modo meriti, grauem caſum* (αὐτο-[illegible]ιαν intelligit) *miſeratus*. Et poterant hęc pronis vtiq; auribus accipi, apud homines æquitatis nec imperitos, nec incurioſos: vt ſententiæ ratio conſtaret, qua Piſo filius ignominiæ exemptus, nec paternis bonis exutus eſt.

Grauior fuit Plancinæ inuidia, mariti in Germanicum inſidiis ac diſcordiis peruicacius immixtæ. Augebat dolorem ciuitatis, deprecatrix Liuia Tiberii mater: cuius odia in Germanicum, & verum Auguſti ſanguinem, ſecreto optimi cuiuſque queſtu differebantur. Quare Hiſtoricus, Tiberium *cum pudore & flagitio pro Plancina diſſeruiſſe, cum matris preces obtenderet*, animaduertit. Sed nihil ad veniam in animo Tiberii & Liuiæ validius fuiſſe, quam conſcientiam ſecretorum aulæ, ſatis licet credere: nemine vel tunc vel poſtea reperto, qui perſuaderi ſibi pateretur, inimicitias Piſonis & Plancinæ in Germanici domum priuatis auſpiciis exercitas fuiſſe. Vnde & totum hoc iudicium, plus ſpeciei, quam fidei habuit: Piſoniſque ſpes non immerito in irritum cecidit, quando ab VNO, à quo inter conſcientiam ſceleris & infamiam nec amari nec defendi poterat, iudicari deſiderauit.

I.

Generoſo Dn. Reſpondenti, amico perdilecto & honorando

EST coluiſſe DEUM TIBI prima & maxima cura,
Proxima dein, ſtudiis invigilare bonis.
His gradibus, per Te, majorum augentur honores:
Hiſce paris Magno, gaudia magna Patri.
Perge ut cœpiſti! laudatis Numen ab alto
Auſis ut præſto ſit maneatque precor!

Teſtandi officij & amoris ergo ſcrib.
Johannes Schmidt, SS. Theol. Doct. Profeſſ. ordinar. Conventus Eccleſ. Præſes & h. t. Acad. Rector

2.

Ad Generoſum Dn. Diſputantem.

Limpidus excelſo lapſus de vertice montis
Pinguia fons rivis lenibus arva rigat:
Et quæ ſecuro terræ cœloque meatu
Hauſerat, haud parce fundere rurſus avet.
Te quoque, KALTBORNI, *multa penetralia largo*
Artis ditarunt alta fluore diu.
Deſuper è cœlo benedictio ſacra vigorem
Addidit & pluviis mitibus auxit aquis,
Gaudeat hoc ergò mox tota Sileſia *fonte,*
Et latices norit concelebrare Tuos.

gratulab, ſcripſi
Joh: Rebhan, D. Pand. P. Ord. Coll. Iurid. h. t. Decanus.

VI.

VIRO PROSAPIÆ ANTIQUITATE, AC OMNIGENÆ VIRTUTIS SPLENDORE NOBILISSIMO,

DOMINO GEORGIO A KALDENBORN &c. EQUITI SILESIO

De Judice & Judiciis, ſub Clariſſimi BOECLERI umbone, fortiter contendenti amico affectu gratulatur

Sebaſtianus Ramſpek Heidelbergenſis Academiæ Prof Publ.

QUæ de *Iudiciis Foriq;*, ſolers,
Arcanis aperis, dicaſque Mundo,
Noſtrum legimus ad Nicrum libentes;
Inprimis ego, macte laude, dixi,
KALDENBORNE nova! merere cunctis
De Juris bene perge Candidatis!
Doctè diſſeris, aſſeriſque doctè
Quicquid promis in aureo libello,
Verè facto & aureo libello,
Quem *Baldus* probet ipſe, vindicetque
Romani ſibi *Iuris Architectus*.
Nil de Judiciis Forique celas
Arcanis: legit & leget *Iuventus*,
Et dignas tibi dicet ipſa grates
Olim *Poſteritas*, tuumque ſcribet
Nomen *Mnemoſyne* in cedro perenni.
Hæc dum mente agito, tibique plaudo,
Aurem vellicat, & monet Thalia:
Quod de Iudiciis bene & diſerte
KALDENBORNIADES *meus tuuſq;*
Scribit, cauſa patet, ſeverus ille eſt
Cultor Iuſtitiæ; bonum ergo & æquum,
Vt de Iudiciis Forique rebus
ASTREÆ *bene diſſerat* SACERDOS!

Ad

4.

Ad

Generoſum & Nobiliſſimum
Dn. Reſpondentem.

SIc Te vetuſtæ germen inclytum domus,
Magni Parentis ſpes, amorque Patriæ,
Et Alſatis prædulce Parnaſſi decus,
Benigna ſemper fata præſtent ſoſpitem,
Succeſsibuſque proſperis Tuam beent
AEtatem & indolem, bonis natam artibus.
Vt arduas virtutis anguſtæ vias
Calcare nunquam pœnitebit, literis
Vacare, mentem ornare pulchris moribus,
Prudentiâque, nobili vere bono.
Hac laude demum præminet priſcum genus,
Sanguiſque ductus nobili ex origine.

Adiecit honoris cauſſa

I.H. Bœclerus, Collegii
Phil. h.t. Decanus.

5.

Generoſe ac Nobiliſsime Domine,

POſtquam me carmen, meritus majora, rogaſti;
Atque ego facturus quod peteretur eram:
Tentantem numeros, ſi forte faveret Apollo,
Et daret alternis verba quadrare modis,
Hoc vno eſt tandem afflatu dignatus, ut aurem
Vellens in mentem funderet iſta meam:

Vi-

Vive fide melior quam verſibus inter Amicos,
Rectius ingenio conveniet illa tuo.

Amoris & obſervantiæ
teſtandæ ſ.

Iacobus Machleer
Nob. Suecus.

6.

D*Um, frater* KALDENBORNI *Generoſe, laborem*
AEternus magnum concomitatur honor,
Id circo elabi non ſegniter aurea libris
Indulgens ævum, tempora paſſus eras.
Id de Iudiciis *tua diſſertatio clarum,*
Quæ bene defendis cautus, abunde facit.
Hac ut pro voto Tibi, CONSOBRINE GEORGI,
De toto cedat pectore pugna precor!

Generoſum Reſpondenten, Dominum
GEORGIUM à Kaldenborn &c.
Conſobrinum dilectiſſimum, Contubernalem amiciſſimum, Itinerisque propoſiti Comitem fidiſſimum hu veneratur fraterne

Melchior Wilhelmus
à Scall, Eques Sil.

7.

DUm, Kaldenborni, jam publica pulpita ſcandis,
Et clara ingenii das documenta tui,
Rem virtute facis generoſo & ſtemmate dignam,
Quod multum decorat Martis & Artis honor.

Et

Et tuâ dum miſces *ſummo de judice* verba,
Gloria te, Phœbo judice, magna manet.

Fauſtæ gratulationis & honoris ergo appoſuit

Joh. Adamus à Schmitberg.

8.

F*Rigidus* illimi qui *fons* ab origine manat,
Et rigat, & feſſis dulce refrigerium eſt;
Egreſſuſque ſuas ſcatebras ſe colligit alveo,
Quo trepidans grato murmure lympha ſtrepit.
Perque cauas valles, per amœnaque prata volutus
Creſcit, & in magnum denique flumen abit.
Inde vadis homini, ſtructo niſi ponte, negatis,
Et Cymbam, & magnas ſuſcipit unda rates.
Longum iter emenſus diverſas alluit urbes,
Exonerat vaſtas in mare donec aquas.
Fontis habet *tanti* niſi *Kaldenbornius* omen,
Nunquam digna ſuis nomina rebus erunt.
Ille trahit pura generoſum ab Origine curſum,
Quâ vix nobilior ſtemmatis ortus erit,
Sæpius illius recreata *Sileſia* lymphis
Tam *gelidi fontis* gaudet habere *caput*.
Deſilit hinc, interque ſuas fluit ordine ripas,
Et variam cinctus gramine lambit humum.
Quâ Viadrus, quà Sala algens, quâ ſpumifer Albis,
Quà celer Amiſius, quaque Viſurgis eunt,
Quâ Vahalis, Scaldiſque, & amœna fluenta Moſellæ,
Quà tumido volvit gurgite Rhenus aquas:
Hacce fluens, tantis jam *Kaldenbornius* undis
Auctior, ad latices ſiſtitur, Elle, tuos.

Nec

Necte, Mœne, tamen, nec te, Nicer optime, ſprevit,
Alveus eſt *illi viſus* uterque tuus;
Longius hàc verò libuit quod parte morari
Eſt Aganippæi cauſa liquoris amor.
Purificare ſuum diſcit quo ſtrenuus amnem,
Aptior ut magnis navibus eſſe queat.
Teſtis es, Argyrope, quantum eius creverit unda,
Quantum & Caſtaliis ſit madefactus aquis.
Ipſa Themis teſtis, *Ius Maieſtatu* itemque,
Teſtis Apollineæ chorda ſonora Lyræ.
Si Ligerim Rhodanumque, & te quoque, Sequana dives,
Viderit, & Tiberin, Eridanumque patrem,
Sique Timave, tuos fontes luſtrarit, & Iſtrum,
Atq; ſuos curſus flexerit inde domum:
Maxima tunc alto credentur munera rivo,
Quæ vehet, ut Patriæ ſtet vigeatque ſalus.
Illum excepturæ mox Naiades oſtia pandent,
Immenſum & pelagus gaudia patris erunt.

Hiſce Generoſiſſimum Dn. Reſpondentem Convictorem meum ſuaviſsimum honoratiſsimumque gratulabundus veneror

M. Ioh. Matthias Schneuber P. L.
Gymnaſiarcha Argent.

Georgius à Kaldenborn & Sta-
chau, in Roſſnochau &c.

ἀναγραμ.

O NUNC STUDIA NEGATA CONGERIS
LABORE; HOS CURAS.

O *KALDENBORNI, tibi quæ ratione* NEGATA
Temporis atque loci ſunt alibi STUDIA,
Quam bene digna tuo noctesque diesque LABORE
NUNC *exantlato* CONGERIS *Argyrope.*
GAMBSIUS *hoc adeo de Te teſtatus, imago*
Priſcæ Virtutis, qui Diadema geri
Nunc inſigne ſcholæ cæleſtis, hydrope necatus,
Heu nuper ſævo! Non ſine mente reor
Id facit & REBHAN *Themidos.* BOECLERVS *& iſtuc*
Teſtatur, cui non cernit Apollo parem.
HOS *ergo* CVRAS, *hos diligis, hos veneraris,*
Hos merito celebras pectore, voce, manu.
Nam regere Imperio populos Te Jure: merentes
Hinc ſummas grates perpetuasq; docent.
Ipſe fatigo Deum juſtà prece, det ſtudiorum
Principio finem proſperitate parem:
Vt patriæ proſis olim, decorique Parenti
Illuſtri fias, ſic placeasque tuo.
Et poſtquam fueris nobiſcum redditus olim
Dilectæ Patriæ dicere Jure queas;

VIRTVTEM. MVSAMQVE IVVAT. VIDISSE. CALENTES
ME. TERRAS. ALIO. SOLE. PROFECTO. IVVAT.
GLORIA. VERA. FAVET. IAM MVNERE. FVNGOR. HONESTO.
NVNC. FELIX. GRADIOR. GRANDIS. HONORIS. ITER.

Hiſce
Generoſo harum Theſium Domino
Propugnatori amorem exprimit

Johann. Jacob. Mæſchelius, eiuſdem
Præfectus, itinerisq; Comes.

NObile Muſarum decus, & Spes mâgna PARENTIS
Nec non virtutum, Gloria rara chori.
Delicium Generis, Regumque futura voluptas,
Dulce jubar Sophiæ, Pacis & Artis amor,
Virtus, quæ niveis fertur ſuper æthera pennis,
TE mox nutritum fovit ab ynguiculis:
Et bene juncta Soror; docuit Sapientia, Nomen
Hinc TIBI creſcet, Honos nec minor inde TIBI.
Jam bene virtutis fers largâ præmia ſorte
Dum in Cathedra promis, diuitis artis opes.
Maxima TE porro virtus ſuper æthera tollet,
Et Sophiæ cunctas, experieris opes.

Ita ſummiſſâ veneratione Generoſitati TVAE

Precatur devotiſſimus

Jo. Bern. Weiningerus.

10073

Digitized by Google